

1304. April 4.

72.

Johann, Graf von Holstein, teilt mit seinen Neffen Gerhard und Heinrich  
den Landesanteil seines Bruders Adolf für den Fall von dessen unbeerbtrem Ableben.

In nomine patris et spiritus sancti amen vniuersis presencia visuris. Johannes  
dei gracia Comes holtsacie et stormarie salutem in domino|| sempiternam, Cum  
temporum mutabilitas omnia immutat et ea que fiunt sub tempore simul euanescant  
cum tempore nisi scripto firmentur firmissimo, huius rei gracia tam presentibus  
quam futuris volumus esse notum, quod nos cum bona voluntate et mero||  
consensu nostro, ac heredum nostrorum, dilectis patruelibus nostris Dominis Gerhardo  
et henrico Nobilibus Comitibus holtsacie et in sco||wenborch eorum ueris here-  
dibus de bonis fratris nostri dilecti adolfi Nobilis comitis holsatie et stormarie  
post mor||tem suam si ipsum comitem adolfum iam dictum sine prole legitima  
descendere contigerit. dimittimus et contulimus|| terras infrascriptas videlicet  
parrochiam trutowe. parrochiam wvensich, parrochiam steenbeke, parrochiam radolf-  
stede, || Insulam dictam bullenwerder et insulam dictam ossenwerder, cum omnibus  
iuribus et pertinenciis suis in terminis hactenus|| habitis et obtentis sicut dilectus  
noster Comes adolfus et nos habuimus et possedimus libere et pacifice iure here-  
ditario perpetualiter possidendas, tali apposita condicione, quod patruelis nostri  
presentim scilicet Comites Gerhardus et hen||ricus ac heredes eorum a nobis et a  
nostris heredibus sint perpetuo separati, non valentes de cetero Ciuitatem hamborgh.||  
aut reliqua bona fratris nostri sepediti ratione impeticionis vel diuisionis attemp-  
tare, Ceterum pro dimissione et colla||tione terre prescripte, ad auxiliandum nobis  
contra quoslibet, qui nobis aut heredibus nostris preiudicium aut grauamen||  
aliquid in bonis prefati fratris nostri inferre presumpserint, patruelis sepediti erunt  
et manebunt|| iugiter obligati, ad cuius rei euidentiam presencia fecimus sigilli  
nostri munimine roborari, presentibus dominis et sacerdo||tibus henrico preposito  
in porez thiderico et stephano capellans nostris, Elero sacerdote de hadebodhe,  
Item militibus Dominis|| Marquardo dicto soldeer, Johanne dicto swin, Timmone  
dicto block, et henrico dicto de daam, Item Marquardo dicto catthes||croghe, et  
aliis quam pluribus fidedignis Datum et actum anno domini. M°. CCC°. quarto  
In die ambrosii episcopi.

Original im Geheimarchiv zu Kopenhagen. Siegel verloren. S. H. U. S. II. S. 9.